

Hierin fehlten Nr. 1-3
am 10. 4. 1917 Luckier.

38.

36

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

SPUTATIONE HY- POCHONDRIACORUM,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

*Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,*

P R A E S I D E

DN. D. MICHAEL ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DN. DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotoro suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS.

HORIS LOCO QVE CONSuetis

ANNO MDCCXXX. D. FEBRUAR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICET

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES MICHAEL STARCKLOF,
GOTHANO - THURINGUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DICSSERLATIO TITULI ET MEDIOL

DI

SPATATIONE POCHONIACORUM

IN D MICHAELI HERITI

SCULPTORIS ET COPISTIS CON-

TRIBUS VITRINIS IN LIBRARIA

TRIO EICENIA

MONSERRATI PRIMA

MONSERRATI SECONDA

MONSERRATI TERTIA

MONSERRATI QUARTA

MONSERRATI QUINTA

MONSERRATI SEXTA

MONSERRATI SEPTIMA

MONSERRATI OCTAVA



PROLOGUS.

Purima omnino mala sunt,
quæ ex vita otiosa & seden-
taria, diæta in primis con-
currente larga ac lauta, in
corpus redundant huma-
num. Postquam enim Ve-
terum viæ simpliciore posthabito, amor
luxuriandi invaluit, & vita mollis, voluptu-
osa præ laboriosa magis placuit, mirum
exinde non est, quare ex hoc vitæ & diætæ
genere mutato genera simul morborum
augescere ceperint? Inter reliqua autem
mala eminent famosus ille & plurimis mor-
biferis phænomenis conspicuus morbus,

A 2

quem

quem in viris Malum hypochondriacum adpellamus. Cujus autem symptomata quum tot ac tanta sint, ut eorum quodlibet novum quasi morbum constituat, ideoque novam mereatur considerationem atque illustrationem: ego pro specimine inaugurali illud hujus morbi accidens elegi, quod SPUTATIONEM MOLESTAM HYPOCHONDRIACORUM absolvit; ejus scilicet nexum aetiologicalum pro viribus deducturus. Quae vero delineatio, quia rite fieri nequit, nisi collata totius Morbi hypochondriaci historia; eam hinc membris tribus ita pertractare lubet, ut membro I. HISTORIAM DICCI MORBI PRÆMITTAM; membro II. NEXUM SYMPTOMATUM ET PRÆCIPUE SPUTATIONIS ILLIUS MORBOSÆ ADJICIAM; membro III. DE METHO O CURANDI PAUCA SUBNECTAM. In hunc autem finem Patrem coelestem imploro, velit iste laboribus meis ita adesse, ut in Nominis Sui gloriam & proximi salutem convertantur.

MEM-

MEMBRUM I.

De Historia Mali Hypochondriaci.

Non rarus aut novus morbus est, quem hic pertractare suscepi; sed admodum familiares & inter ditiones, otiosiores & vitæ in primis speculabundæ deditos, notissimus. Cujus symptomata quia tanto numero tantaque sæpius vehementia in uno subjecto se exserunt, ut exinde antiquioribus medicis non raro imposuerint: factum hinc est, ut iis vel mederi prorsus nequievrint, vel remediis perversis ea in pejus ruere juverint. Quod autem veteres circa hunc morbum per spicere non valuerunt, id nostra ætate abundanterr innotuit, & unde torus *bujus Mali* adparatus dependat, satis est detectum. Primo omnium contigit, complexum tot symptomatum eruere celeberrimo illi Practico Anglicano, *Sydenhamio*. Hic enim soler tissimus observator inventa caussa materiali *hujus morbi*, ultra 50. afflictionum species indicavit, quarum singulæ singulum novum morbum mentiuntur. *Hujus vestigia Highborus* solerter secutus arctissimum nexum Mali hypochondriaci cum Malo hysterico demonstravit, hæcque duo pro eodem morbo reputanda esse probavit. Neque penitus oblivioni tradenda est *Sennerti* sententia, de hoc affectu. Omnium tandem felicissime & pro more suo solidissime *Ill. Stabilius*, hunc famosum morbum ex incunabulis primis evoluturus, pro materiali ejus caussa induxit plenitudo

dinem ac spissitudinem sanguinis, uti id videre est ex
Dissert. de Malo hypochondriaco-hysterico. Quoniam ergo ex iam dictis adparet, quod hic morbus hodie sat lucis habeat, & ego etiam facillime largior, quod *Dissert.* in primis Stahliana omni ex parte contineat, quod tam ad ejus cognitionem quam therapiam pertinet; posset hinc labor meus superfluus videri & ab aliis dudum peractus. Ast vero quum conatus hic primario eo tendat, ut speciale Hypochondriacorum symptoma, *Sputationis* scilicet vitium eruatur: hoc autem ab aliis, quantum quidem constat, sufficienter nondum sit evolutum, nihilo tamen minus cum aliis phænomenis ex eodem fonte prognoscatur; operæ pretium judicavi, hac de re paulo specialius mentem meam exponere. Quanquam autem insti-tuti ratio non exposcat, ut universam, totius morbi historiam prolixius enarrē, paucis tamen ea tangentia erunt, quæ ad scopum necessaria videbuntur. Atque inter hæc primo loco se offerunt subjecta, huic affectui præcipue obnoxia. Concludi nimirum ex Prol. ad partem potest, a Malo hypochondriaco non facile corripi laboriosos, operarios, rusticos, aut qui qualicunque corporis motu sufficiente continuo consumunt, quod per singulos dies ingerunt. Ejusmodi enim homines per constantis sui corporis exercitium efficiunt, ut debita proportio inter motum & humores movendos conservetur, siveque salva partium fluidarum tenuitate, salvoque solidarum robustore & integritate, sanitas obtineatur. Constituunt ergo potius subjectum morbi nostri, homines, qui ab hoc

hoc vitæ genere discedentes otio magis, quam par est, ac luxui vacant, quo humoribus feliciter vel potius infeliciter augendis ansa præbetur. Referendi huc cum primis sunt litterati & qui plurimis speculationibus vitam conterere amant. Quorum numerum generaliter augment omnes illi, qui ex caussis adlegatis eminenter plethorici facti, variaque molimina hæmorrhagica experiuntur; uti specialiter melancholici, quorum temperamentum prære liquis ad hunc morbum fovendum dispositum habetur. Quare autem sæpius molimina hæmorrhoidalia præcedant & quare eadem in juvenili jam ætate conspirent; id ex membr. sequ. magis elucescer. Symptomata quod concernit, ea plane multifaria & sæpius atrocissima deprehenduntur. Unde cum citato *Sydenhamo* aliisque Observatoribus adfirmare decet, non peculiares esse morbos, quos hinc inde Hypochondriaci aduersant, quique vulgo tales habentur; sed nudæ morbi hujus generalioris consequtrices afflictiones. Variant autem eædem partim pro morbi invalecentis gradu, partim pro subiectorum constitutione diversa. Siquidem ex his symptomatibus in uno homine plurima simul concurrunt & interdum magis exacerbata deprehenduntur, quam in alio: id quod ex majore vel minore subiectorum sensibilitate derivandum videtur. Sunt enim non pauci, qui incommoda magis sursum in capite experiuntur, indeque de continuo ejus stupore, dolore aut vertigine conqueruntur. Alii dolores potius sentiunt circa pectus, anguentes, respirandi difficultatem,

tem, cardialgiam, palpitationem cordis; quemadmodum alii magis deorsum in abdomen fævitiam hujus Mali perfentiscunt. Non paucos etiam audies, in quibus negotium hæmorrhoidale vehementius urget, qui ob hanc rem minus prospere cedentem dolores sæpius experiuntur circa lumbos cum pathematis colicis non raro complicatos. Quibus accedit torpor animi, imo in dispositis mentis alienationes, melancholiæ &c. Præter autem dicta symptomata illud singulare & omnibus fere Hypochondriacis familiarissimum adnotare decet, frequentissimam eorum videlicet *Sputationem*: unde dudum jam proverbium innotuit: *Hypochondriaci sunt sputatores*. Quam commune autem & apertum in his subjectis tantum non omnibus hoc est symtoma; tam obscura tamen & intricata caussa videtur, cur alii plus hujus salivæ ante, alii post pastum observent exspuantque? Non sane parvi momenti hæc res est, aut tanquam accidens fugitivo oculo intuendum. Ut enim hic non præmoneam, quanta cuilibet taliter ægroto incomoda facessat, suo loco uberior exponenda: hoc unum præmissum volo, quod talis modi Exsputatio aliis maxime sit nauseosa & facile contemtum excitare valeat. Quam ob caussam ii, qui per officii rationem a dominorum ac principum lateribus esse coguntur, hoc autem sputationis molestæ virtio laborant, liberationem ab eodem magno cum desiderio a Medicis exposunt. Quæ cum ita sint, opera preium omnino videtur, ulterius in caussas ejusdem inquirere, & cui fini salivæ talis uberior excretio destinata.

stinata sit, perscrutari. Atque hæc res nos dicit ad
membrum II. quo nexus ætiolog. evolvemus.

MEMBRUM II.

Nexus ætiologicum sistens,

UTi multi alii morbi originem suam ex sanguinis abundantia derivant; ita nec minus de Morbo hypochondriaco nostro, & per consequens ex parte de *Symptome ejus Sputatorio* adseverandum, quod suos natales debeat caußæ eidem. Id quod cum extra dubium esse judicem, nunc modo nexus propior tot symptomatum brevibus demonstrandus venit; quo scilicet eruto, Sputationis Hypochondriacæ quoque fons ac scopus uberior patescat. Inter Physiologos constat, in singulis ætatibus per peculiarem Naturæ providentiam ad certos fines sanguinis copiam parari; qua autem eo adaucta, ut corpori oneri esse incipiat, eandem naturam invitari, ut pro ejus deplectione ac imminutione varias moliantur hæmorrhagias. Quare autem in Adfectu hypochondr. incommoda ex his naturæ motibus oriunda tragœdiam prius ludant in abdomen, quam in aliis corporis regionibus; id ex peculiari situ & structura Venæ·portæ est deducendum. Quoniam videlicet truncus ejus ita est constitutus, ut sursum & deorsum ramos ac radices suas exporrigat atque disperget; enascitur hinc aptitudo, qua facilime variæ turbæ & motus & consistentiæ sanguinis suboriri possint. Quamvis enim sanguini

B

ex

ex ramis majoribus & minoribus per intestina, lie-
nem, ventriculum, vesicam, in feminis uterum, diffe-
minatis, facilior pateat reditus ad adhuc maiores, ex i-
sq; in truncum: ex hoc tamen longe difficilius iterum
minores ad hepar tendentes ramulos intrat, spissioris
principue in dolis existens. Quæ difficultas per id auge-
tur, quod hæc vena non talibus, ac aliæ venæ, valvulis
sit prædita, ad progressum sanguinis alias plurimum
juvantibus: unde statim ratio clara est, quare dictus
sanguis hic ita facile stagnare possit, & quare tot sym-
ptomatum primordia in hac vena sint querenda? Ve-
rū ut successus infelix horum symptomatum, ordi-
ne innotescat, innuere convenit, quod tres primariae
corporis nostri cavitates, abdomen inquam, pectus &
caput, sensim de hoc Malo participant. Ubi nimi-
rum humorum abundantia eo adcrevit, ut proportio
eos inter & motum cessaverit, indeque stagnationes,
infarctus imo stases plenariae essent metuendæ; na-
tura spectatorem oriosum agere nec vult nec potest,
sed variis motibus spasticis hæmorrhagias sinceras ex-
pedire, aut sanguinem stagnantem promovere, & hac
ratione illa damna præcavere admittitur. Quoniam
autem V. portæ ad ejusmodi mala fovenda præ cere-
ris habilis deprehenditur; ætas insuper subiectorum
plerumque convenient ad fluxum hæmorrhoidalem;
molimina hinc prius vergunt ad inferiora. Qui la-
bor naturæ ubi felicem nanciscitur eventum, & suffi-
ciens sanguinis portio hac via eliminatur, dolores illi
spastici & pressorii ordinarie mox evanescunt: conf.
D.D. Præsidis Trad. de Hæmorrhoidibus p. 374. seq. de Hæ-
mor-

(II)

morrhoidibus Medicina Hypochondriacorum. Quod si autem res minus prospere cedar, contingunt presso pede sanguinis regurgitationes, & translationes in alia loca vasorum distensiones, infarctus aliaque plura damna. Contra quæ dissipanda ubi natura novos motus instituit, & vasa coartando sanguinem proprime re tentat; intestina & viscera connexa valdopere affliguntur: unde simul nexus eluet reliquorum, symptomatum in abdome maxime saevientium. Eadem natura spe sua plethorae hac via imminuendæ frustrata nunc sanguinem incipit altius dirigere, & molitur ejus portionem modo per vasa brevia in ventriculum exprimere, sicque vomitu cruento rejicere; modo per pulmones Hæmoptysin tentare. Et circa hæc nova molimina novæ sentiuntur dolorum species, ubi e. g. ex sanguinis restrictione super ventriculum crebriores ejus incusantur depravationes, pressiones, nauseæ, cardialgiæ; conf. Bartholinus Cent. 1. bist. 87. A. N. C. dec. 1. An. X. obs. 20. aut pulmonum respectu inducuntur anxieties præcordiorum, spirandi difficultas, puncturæ, palpitationes cordis &c. Nec hic loci fine suo potita natura congerit tandem sanguinem versus caput, sub hac itidem intentione, ut imminutio qualiscunque per Hæmorrhagias narium obtineatur; unde demum dolores cephalalgici, otalgici, odontalgici, & quæ sunt alia, oboriuntur pathemata. Et ex hoc specialis humorum congestionis fonte versus superiora merito derivatur *Ptyalismus Hypochondriacus*; ad cuius considerationem specialiorem nunc transgredior. Ante omnia autem indicandum,

B 2

quod

quod per hunc Ptyalismum intelligam *Copiosam salivæ excretionem vel salivam in os effusionem modo jejuno, modo cibis replete stomacho, Hypochondriacis maribus præcipue familiarē, ex restrictione humorum versus superiora ortam & ad certos fines a natura institutam.* Quem descriptionis ordinem quia in hac materia pertractanda servare placet; occurunt 1) *genus*, quod est uberior salivæ excretio: ubi perpendendum brevibus, quid sit saliva & quomodo illius contingat secretio; 2) *differentia specifica*, qua Hypochondriacorum masculorum in primis accidens observatur & hac quidem differentia, ut alii saturato, alii jejuno ventriculo id magis experiantur: ubi de caussa talis diversitatis inquirendum; 3) *caussa formalis*, videlicet humorum restrictio versus superiores partes; 4) *caussa finalis*, quæ erit recensenda; 5) *caussa efficientia*, quæ est principium corporis movens rationale. Ad primum momentum, nempe ad salivæ uberiorem excretionem quod attinet, de ipsa saliva sciendum est, ipsam liquorem esse utilissimum, ex parco & subtili principio salino & copioso aquoso constantem, in ore & faucibus secretum ciborumque resolutioni ac oris humectationi destinatum. Veterum quidem non nulli salivam pro humore pure excrementio habuerunt, quoniam intra fauces exprimeretur; quam autem ejus hic loci expressio non fiat, ut expuatur sed potius, ut deglutiantur sive in ventriculo usum resolutiorum exserat: recentiores hinc contra illos laudabilitatem satis explicuerunt & comprobaverunt: *conf. D. D. Praesid. Physiolog. cap. III. s. CI.* Quamvis autem in genere de Sa-

Saliva merito prædicari possit, quod sit liquor limpidus; differt tamen hæc ejus tenuitas pro diversa glandularum, in quibus secernitur, constitutione, ubi e. g. illa, quæ ex tonsillis provenit spissior est ea, quæ ex reliquis glandulis exprimitur; *conf. Stahl. Theor. Med. p. 1369sq.* Differt ad hoc limpiditas hæcque ac laudabilitas pro ratione subjectorum, quando e. g. in succulentis, fluidos humores habentibus, fluidior est, in melancholicis autem & iis, qui spissò gaudent sanguine, spissior etiam & tenacior deprehenditur. Ut porro Scorbutici, Lue venerea infecti, alia que distincta & qualificata humorum impuritate prædicti ex sanguinis sui indole pravam, impuram ac fœtidam exspuunt salivam. Quod ad principia salivæ constitutiva, patescit ex ejus scrutatione chymica, quod constet ex paucis particulis salinis, multis autem aqueis adeo, utjuxta *Nent. in Physiol. cap. IV. p. 156.* in una Salivæ unica vix tria Salis grana continentur. *conf. Schurigii Sialogia & Graef de Succo Pancreatico.* Secernitur porro saliva in diversis glandulis ac per ductus certos salivales in os effunditur, & quidem mediante subtili earum constrictione: unde ratio adparet, cur medicamenta quædam copiosiorem salivæ adfluxum & effluxum concident; uti sunt mastatoria &c. dum scilicet sale suo subtili membranas glandularum nerveas stimulando, eas ad inajorem strictroram excitant, quam, accedente ob stimulacionem copiosiore adfluxu, copiosior etiam sequitur excretio. *vid. D. D. Praesidis Tract. de Medicamentorum modo operandi &c.* ubi de masticatoriis sermo occurrit;

Communiter vero in statu sano spontaneo & tu saliva copiosius in os effunditur tempore masticationis, aut ubi quis ferculum sibi gratum vel adspicit vel de eo tantum audit. Prius salivæ usum egregie demonstrat, qui præcipuuſ est ciborum resolutio; posterius autem causam efficientem hujus salivæ excretionis comprobat. Quodsi enim quid ex nudo adſpectu cibi grati mox uberiorem salivæ in os effluxum experiat; hoc autem phænomenon judicium de aliqua re, adpetentiam, scientiam & eleſtionem ejus involvat, quæ omnia principii rationalis sunt prædicata: ſequitur exinde, negotium hocce motui ſoli maxillarum non eſſe adſcribendum; de qua re vid. D. D. Praefid. Tract. de Masticatione. conf. Ejusd. Philofophisch und Medicinische Schriften p. 495. seq. Præterea autem, quæ diximus, in diverſis adhuc caſibus ejusmodi copioſior salivæ excretione contingit, eti non ordinarie, in statu morboſo; quam ideo Ptyalismum vocamus, quæ autem Sputatio spontanea bene diſtinguenda eſt ab artificiali & coacta, remediiſ mediantibus interduum conſulto provocata, ad nos autem non attinens. Observatur nimirum non raro talis Sputatio seu Salivatio in hominibus de cetero ſanis circa æquinoctium autumnale, ubi ſub diuturnæ salivæ expuſione corpuſ a variis ſordibus liberatur; quam obſervationem exhibet B. Richter in Unterricht von Erkänthiſ des Menschen p. 367. f. 18. Similis Ptyalismus spontaneus contingit nec minus in quibusdam morbis e. g. Variolis, qui ideo itidem ſalutaribus excretionibus eſt adnumerandus, quia variae impuritatem per eundem ecor.

corpore proscribuntur. Et hoc cum primis pertinet
 Ptyalismus seu Sputatio Hypochondriacorum, cuius
 illustratio uberior nunc est suppeditanda. Generali-
 us jam in antecedentibus dictus est nexus & causa
 Sputationis frequentioris, modo in statu sano, modo
 in morbo hinc inde occurrentis; ideoque hic spe-
 cialiis inquirendum, quare Hypochondriaci alii plus
 exspuant mane & ventriculo jejuno, alii autem plus
 post pastum; *conf. Excell. Funck. Tab. Med. XXXVI. p.*
316. Cujus rei causa ut magis elucescat, præmonen-
 da quædam & ex antecedentibus repetenda judi-
 co. Malum hypochondriacum pro causa materi-
 ali agnoscit sanguinem plenum & spissum, cuius effe-
 ctus & malæ consequentiæ in abdomine & præcipue
 in visceribus cum V. portæ connexis se exserunt. Hi
 autem effectus periculosi ne certissime sequantur, na-
 tura sanguinem hunc spissum variis motibus spal-
 tis per vasa ac partes trans�rimit: qui demum locum
 in abdomine non amplius habens congeritur copiosi-
 us versus superiora. Et hæc est causa occasionalis,
 qua majorem humorum ad hæc loca directionem co-
 piostores salivæ sequuntur se & excretiones: unde
 simul observare est, quod in Hypochondriacis qui-
 busdam, ubi præcipue Malum est in veteratum & Me-
 lancholie quid concurreat, lacrymæ sæpius largiter
 effundantur; quia scilicet ex eadem causa uberioris
 ad superiora humorum congestionis major lacryma-
 rum copia excernitur. Quod ergo ipsam illam quæ-
 stionem intricatam concernit, quare Hypochondria-
 ci rantium non omnes modo salivam largiorem senti-
 ant

ant ante pastum, modo autem post pastum; hic peculiarem subesse naturæ respectum & finem judicamus, videlicet aut ad cruditates in ventriculo obvias, aut ad cibum ingestum & difficilem horum concoctionem in hisce subiectis. Ex symptomatibus enim horum hominum illud etiam notum est, quod in plurimis concoctio & digestio mala sit accusanda; id quod digestionis vitium partim ab atonia ventriculi, partim a denegata ejus sufficiente humiditate ex sanguine spissiore oriunda, dependere facilime concedimus. Quando id propter proclive est, quod ex hoc ventriculi vitio impuritates & cruditates facile cumulantur, quæ posteriorem digestionem de novo persundare aptæ sunt; hinc natura tunc temporis, ubi a digestionis opere libera est, salivæ materiam uberius advehit, ut ea deglutita ejusmodi cruditates ventriculo jejuno eo felicius resolvantur & abstergantur. Et quamvis non sit abnegandum & ex superioribus jam patescat, quod hæc saliva pro conditione sanguinis spissioris, diversitate subiectorum, & glandularum etiam diversa habilitate, sœpius sat mucosa sit; permanet tamen respectus naturæ salvus & finis abstergorius perennans. Quod enim mucositatem Salivæ respicit, ea præter dictas caussas etiam ex eo dependet, quod hujus sequestratio, uti aliæ actiones vitales, continuo succedit; & quando non omni tempore in finem destinatum impenditur, noctu præcipue; ex hac remora facile spissescat & in mucum abeat tenacem, qui ideo scopo abstergorio quidem non amplius respondet, sed mane potius sputi nomine screatu venit

venit removendus; id quod autem æque in hominibus sanioribus, quam in Subjectis Hypochondriacis evenire solet. Ad hæc porro, quod est momentum secundum, quia in Hypochondriacis Saliva semper largius & copiosius secernitur ex caussis suprajam adlegatis; ea potissimum, quæ post dicti muci rejectio nem iterum nova sequestratur & in os ad deglutitionem effunditur, hujus explet vicem pro eoque naturæ fine quantum possibile obtainendo satisfacit. Nec tamen ex hoc stomachi vitio fluere videtur adsertio, qua prima Mali hypochondriaci origo ex hoc fonte deducitur: quippe quod potius ceu consequens causarum prægressarum, quas sub initio hujus Membri II. citavimus, est reputandum. Quando autem verum omnino est, quod qualis digestio talis chylus, & qualis chylus talis humorum constitutio; ex hoc capite lubentissime largimur, quod dictum Malum Hypochondriacum stomacho male habente pessime foveatur, nutritur & nisi huic rite medeamur, quotidie augeatur. Et sic unius positio non involvit alterius renotionem. Sed redeamus ad quæstionem alteram, quare Hypochondriacorum non pauci Salivam copiosiorem post pastum obseruent? Eandem nimirum naturæ intentionem & hic adlegare decet: siquidem eadem, quia novit concoctionis negotium in his subjectis ægre & segniter succedere propter denegatam ventriculi sufficientem humiditatem, propter tonum ejus etiam plerumque nimis labefactatum aliaque obstacula; hunc defectum aliqualiter uberiori Salivæ adfusione compensare, sicque digestionem

C

ad.

adjuvare & facilitare adlaborat. Quo plane respectu natura ipsa præstare admittitur, quod Hypochondriaci communiter negligunt, id est, eos admonere, ut cum cibis non solum potum sufficientem adsumant, sed etiam post bibendo illos diluere, hocque modo eorum resolutionem intimorem promovere cooperentur. Ceterum ex eodem fundamento ventriculi depravati, quod incidenter dictum volo, ratio mihi videtur reddi posse duplicitis illius phænomeni; ubi scilicet Hypochondriaci nunc adpetitum insignem habent & plane voraces sunt, nunc autem nauseam maximam ut, si interdum se ad cibum sumendum omnino applicare velint, ipsi vere evomere incipiunt. Aut nimirum cruditates in ventriculo adhuc hærent; in quarum resolutione dum natura occupata est, alimenta inde nova adsumere maximopere adversatur & abhorret, ut quæ eandem saburram citius augere & cumulare facerent. Aut concoctionis opus ita est depravatum, ut ingesta fere indigesta ejificantur, id quod non raro contingit: unde ergo, dum nutritio valde laesa & impedita deprehenditur, voluntas edendi & bibendi major omnino requiritur, ne corpus alimentis vel nutritionis materia prorsus destituatur. Et sic illustratis breviter cauffis & Mali & Ptyalismi Hypochondr. pergo ad tractationem ejus practicam.

MEMBRUM III.

De Methodo curandi.

QUOD si de methodo medendi pauca adhuc dicendi veniant, Cautelam illam practicam præmiten-

tendam arbitror, qua Medicum rationalem decet ut in aliis morbis, ita & in Adfectu Hypochondriaco non tam symptomata quam fundamentum morbi prius respicere. Ex quo latere sponte fluit intuitu *Symptomatis nostri Spuratorii*, quod, si quis illud extirpare voluerit, is totius Morbi Hypochondriaci causam fundamentalem adgredi & quantum possibile, eam ante omnia removere debeat. Absurdum exinde non videbitur, ubi pro tollenda hacce Hypochondriacorum *Spuratione* morbosa methodum generalem & solitam, quae ad universum illud Malum quadrat, commendo. Quum autem de eo pluribus jam sit evictum, quod causa ipsius materialis hæreat in plenitudine & Spissitudine sanguinis, qua successive totus adparatus tot molimum activorum, spasticorum, congestiorum, nec non regurgitationum passivarum, stagnationum, infarctuum provocatur: hinc momenta hæcce duo in primis sunt consideranda, & quomodo illis medearur, uberior meditandum. Universum videlicet curationis negotium eoredit, ut ante omnia plethora imminuat; quo postmodum vasis onere suo aliquantulum liberatis reliquus sanguis eo promptius circulari simulque ejus attenuatio facilior obtineri queat. Hæc autem sanguinis abundantia alia non via felicius & citius imminuitur, quam per Venæctionem sufficientem & repetitam: id quod momentum nisi probe observetur & præmittatur, nec intentioni naturæ fit satis, nec medicamina pro resolvendo sanguine spissio ordinanda, finem debitum nanciscuntur. Peracta hacce & præmissa sanguini.

gūinis ventilatione, in usum trahantur remedia, quæ
 sanguinem spissum diluere, incidere & attenuare ju-
 vant. Faciunt huc potus liberalior, sed temperator
 & liquidior, in primis calidus e. g. Coffée, Thée &c.
 qui facilis massam sanguinis ingrediens cum eaque
 mixtus, illam feliciter diluit & fluxiliorem reddit.
 Porro huc præ ceteris pertinent Essentiae variæ ex Rd.
 & Hb. resolventibus parata; nec non Salia digestiva
 vel media dicta, quæ incidendo & humores spissos
 discontinuando operantur eosque fortius resolvunt.
 Cum primis etiam hic coquendandæ veniunt Laxatio-
 nes illæ leniores, quæ per epicrasin operari dicuntur;
 si quidem hæ itidem ex speciebus resolventibus &
 laxantibus compositæ efficaciam suam in humores non
 solum exserunt, sed & simul primas vias abstergunt ac
 impuritates leniter educunt. Quas ergo laxationes eo
 magis suademos, quo plus levaminis & auxilii pro
 Sputatione Hypochondriacorum inde sperandum
 novimis. Clysmata nec minus eximiam interdum
 habent utilitatem, quæ autem emolliente magis &
 demulcente scopo adhibenda sunt, ubi scilicet velal-
 vi fiscitas vel torminum abdominalium atrocitas ea-
 dem exposcere videtur; quorum autem loco, si qui-
 busdam pilularum usus magis placet, tales possunt
 substitui, quæ non draſticam, sed leniorem exhibent
 virtutem. Maximum porro Hypochondriacis emo-
 lumentum præstabit, qui partes eorum solidas utplu-
 rimum nimis distentas & labefactatas sublevare & per
 sic dicta tonica, justo tempore & legitima dosi propi-
 nata, roborare sciverit. Seligimus in hunc finem mo-
 do

do Crocum Martis aperit. Stahlii tenerum, & Tinct.
Martis Ludov. nec non Mixturam tonico nervin. Stahl,
quæ præ ceteris tutioris usus deprehenduntur. Cort.
Cascarill. singularem etiam laudem meretur, uti &
Millesol. in decoct. vel Essent. usurpatum; nam utra-
que leniter adstringendo tonum tutissime roborant.
Indicantur ad hæc sæpiissime in Adfectu hypoch. talia
remedia, quæ orgasmum sanguinis temperare & do-
lores spasticos mitigare valent; cui scopo præcipue in-
serviunt Nitrofa, Cinnabarina; & nisi hæc sufficiant, in
easu urgente Anodyna lenia quibuscum Spec. de Hy-
acinth. paucissimis granis misceri possunt. Et hæc
præcipua visa sunt medicamina, quæ pro sublevando,
& si fieri possit aliquando prorsus eradicando Morbo
hypoch. commendari consultum duxi. Nevero mi-
hi ipsi circa methodum præscriptam confidere nimi-
am videar, merito iterum in hac re provoco ad *Dissert.*
Stahlianam de Malo Hypochondriaco - hysterico. Cum qua
autem adprime conferendam suadeo *Dissert.* mere pra-
dicam D. D. Praesid. de *Therapia Mali Hypochondria-
ci*; quæ utraque Methodi nostræ defectum omni ex
parte compensabit. Verum enim vero quamvis omni
adstruam jure, quod citatus medicaminū selectus plu-
rimum valeat pro mitigandis hujus Mali symptomati-
bus; reticendum tamen simul non est, ipsum plena-
riam neutiquam absolvere curationem. Tantum e-
nim abest, ut hic Morbus, ubi semel firmas radices egit,
nudis medicamentis funditus tollatur, ut potius quo-
tidianum Medicorum scandalum audiat. Perspexe-
runt hoc plures Practici accuratiores & cordatiores,

C; ideo-

ideoque aliud longe vilius, ast solidius medium, cum medicamentorum usu ubique coniungendum suaserunt: Laborem puto & exercitium corporis, quo mediante & medicaminum efficacia fortior & curatio-
ris scopus firmior deprehendatur. Ex pluribus suffici-
ant verba in hanc rem ipsius D.D. Praesidis in jam ad-
legata *Dissert. de Therapia Malis hypoob. s. XXXIX.* ita so-
nantia: *Ut massa sanguinis mobilior reddatur, duo suffici-
unt adminicula; nimirum, ut Hypochondriaci sufficienter bi-
bant: deinde a consueta nimia desidia abstineant, & corpus
per motus voluntarios exerceant. Quo faciunt motus abam-
bulatorii, moderatae equitationes & vectura, imo ut se in tra-
benda serra, diffundendis lignis, aliisque laboribus, sub mode-
rata tamen continentia agiles stant &c. conf. Eiusd. disp.
de Longævitate ex Motu Corporis, & Hygiene cap. IX. de
Motu Medicina Corporis.* Et plane si dicendum, quod
res est, veritas hujus adserti & a priori sat probabilis
cuilibet Medicinæ tyroni videri potest, & a posteriori
per experientiam quotidie magis confirmatur. Ve-
rum non fert instituti ratio, hic loci prolixius attinge-
re dubia & objectiones nonnullorum Practicorum,
quas ex variis respectibus & falsis conceptibus con-
tra laudatum consilium de corpore movendo profe-
runt. Nec mens est pluribus recensere obstacula,
quæ ex parte ægrotorum occurrent; ubi alii ex fide
vulgari omnes morborum caussas in sanguinis impu-
ritate quærentes, longe facilius expetunt & hauriunt
medicamina plurima, quæ pro depurando & corri-
gendo sanguine præscribuntur, quam ut huic consilio
viliori fidem attribuant. Alii contra, rei veritatem sat
bene

bene capiunt, ex prætextu autem teneritudinis, vi-
tæ conditionis aliarumque cauſarum vix eo adduci
possunt, ut vitam suam, molliorem & commodiorem
deſerentes, mobiliorem incipient; unde plane non
mirandum, ſi hic morbus plurimis prorsus incurabi-
lis creditus fuerit. Sed hoc ſolum ex re noſtra eſſe
videtur, ut paucis adhuc demonſtremus, quid in ge-
nere motus & labor corporis ad ſanitatem conferat, &
quomodo in ſpecie pro Morbo noſtro ſolidius cur an-
do contribuar. Uſus nimirum hujusce motus respi-
cit modo partes corporis ſolidas, dum illæ ſub crebri-
ore contractione, extenſione & retractione ſemper
majorem flexilitatem, firmitatem atque robur acqui-
runt: modo partes fluidas, quippe quæ, ubi per fibra-
rum ita contractarum aut extenſarum poros transpri-
muntur & conquaſſantur, fluxiliores inſimul & tenui-
ores redduntur; quo ipſo calor debitus non modo
conſervatur, ſed omnes ſe- & excretiones promptius
ſuccedunt. Quum inſuper ſub hoc corporis labore
respiratio valde intendatur, nec non cordis pulſus au-
geatur; cernere hinc licet, quantum & hæc viſcera ad
progressum, resolutionem & fluxilitatem contribu-
ant; ubi videlicet iſ per pulmonum poros ſatis vege-
te perpreſſus & ſubtiliſatus, cordis poſthac motu for-
tiore eo felicius in reliquias partes propellitur & in to-
to corpore circumagit. Manifestum hinc inde eſt,
quod, in dole partium fluidarum & ſolidarum ita bene
conſtituta, bene etiam ſuccedentibus actionibus vita-
libus & naturalibus; stagnationes humorum, infar-
ctus aliaque mala nulla ſint timenda, ſed corpus poti-
us

us salvum & sanitas integra servetur. Et hoc est, quod
 a posteriori innumeris exemplis, ne dicam, tota ho-
 minum rusticorum multitudine abundantiter confir-
 matur, ut qui sub laboribus suis gravissimis optima ac
 constantissima ordinarie fruuntur sanitatem. Ad quod
 accedunt exempla plurima ægrotorum, qui scilicet
 Morbo huic ita impliciti fuerunt, ut eorum res fere
 conclamata videretur, qui autem solo sæpius corpo-
 ris motu rite, sufficienter & constanter administrato,
 tori sani sunt restituti. Unde tandem colligere lice-
 bit, Medicum rationalem & conscientiosum tum tali-
 ter ægroti, tum Artis famæ optime consulere, si cum
 medicaminum usu laudatum corporis motum ubi-
 que combinandum suadeat: quo fundamento morbi
 ira solide impugnato & sublato, symptomata conci-
 dant atque remittant. Siquidem verum est & manet,
 quod spes supersit nulla vel Symptoma nostrum Spu-
 tatorium eradicandi, cum aliis arctissime cohærens &
 ex eodem fonte proveniens, nisi prius caussa antece-
 dens & principalis extirpetur ac removeatur. Sed hæc
 sufficient tam theoretice, quam practice de caussis,
 symptomatibus & in primis Sputatione Hypochondri-
 acorum acta. Offerimus quod superest, gratias hu-
 millimas Deo benignissimo pro præstito divino, adju-
 torio precibus insimul ardenteribus Ipsum rogantes, ut
 omnia faciat cedere in Sancti sui nominis gloriam
 & qualemque proximi salutem.

Hier wird Verdienst belohnt, da Meditrimens Hand
Dir, Herzens Wirthster Freund, das Ehren-Klei-
nod reicht.

Dir, der Du Deine Zeit so loblich angewandt,
Dass hier mein Ruhmen nicht an Dein Bemühen reiche,
Ich gratulire Dir und wünsche ferner Glück,
Will gleich die weite See uns nach dem Leibe trennen,
Hält doch der Wellen Wuth die Freundschaft nicht zurück,
Dass nicht mein treues Herz stets für Dich solte brennen.

L. G. Schlegelmilch, Med. Lic.
& Missionis Danicae ad Malabaros Pract.

Ascendit Cathedram doctus STARCKLOFIUS, atque
Jamdudum meritum deportat dignus honorem.
Gratulor ex animo, & progressus opto secundos
Futura in praxi; DEus annuat undique coepitis,
Ausibus atque Tuis: sic nec TIBI ferre Galenus
Detractabit opes, nec detrectabit honores.

Haecce gratulabundus adiecit

Sam. Schaarschmidt, Med. Lic.
& Pract. Güstenfis.

SAls Pfund so Gott und die Natur mit reichem Maße Dir gesönnet,
Und dessentwegen man schon längst, vor andern, Dich beglücket nennet,
Hast Du durch eignen sauren Schweiß,
Um Deiner Lehrer treuen Fleiß,
Zu Gottes sonderbahren Preis,
Und Deines Wässchen wahre Wohl, bisher ausnehmend sehr vermehret;
Dann wird auch Dein und unfer Wunsch anheute schon etwas erhöret,
Da mandich, hochgeschatzter Freund, mit wohl erworben Ruhm beehret.
Der Höchste, dem Du redlich dienst, der überschüttet Dich mit Segen,
Und sey, mit seines Geistes Kraft, bey Dir auf allen Deinen Wegen,
Damit des Todes grimmer Stahl
Der Schnäcklichkeiten grosse Zahl,
Doch meistens, wo nicht alleinahl,
Vor Deiner wohl erlernten Kunst und treulich angelegten Weise,
So, wie man sich nur selbsen wünscht, zu vieler Menschen Hülfe entsöhne,
Und also auch Dein Wohlergehn von Zeitzu Zeiten besser blühre.
Aus Freundschafts-Pflicht, und zu fernern guten Anden-
ken schrieb und wünschte vorstehendes

M. Justus Israel Beyer.

D

Eg

Si ist ein Überfluss, wenn ich Dich loben wolte,
Dein Fleiß und Dein Geschick, legt Dir schon alles bei,
Doch, wenn ich ja von Dir noch etwas rühmen solte,
So ist's, daß ich gedene, was Deine Freundschaft sey;
Die ungürliche Treu, Dein aufrichtige Begegen,
Die Liebe und die That, bringt mir nichts aus dem Sinn,
Und ob ich gleich darum jetzt muß beschämt schwiegen,
So glaube, daß ich stets ein Diener von Dir bin.

- D. A. Hancke, Med. Cand.
Oppon. Coneco - Borusius.

Der Fleiß ist ein Magnet, der sich nach Ehren wendet,
Der Muten edler Trieb sucht immer diesen Pol:
Dies war auch Dein Kompaß, der führe Dich so wohl,
Dass Du mit großem Ruhm, den starken Lauf vollendet,
Glück zu! Geehrter Freund, Gott segne fernherhin
In Deiner Praxi auch Dein fleißiges Vermähn.

*Ita Debuit Gratulari
quidam
Medicinae Candidatus.*

Ergo Tuis tandem studiis se pulcra coronis
Tot post exhaustos voluit præbere labores
STARCKLOFFI, quem nos sine cera scimus amicum,
Et qui nos pariter sine cera novit amantes?
Proh! juvat, haud frustra noctes vigilare, diemque
Infixo naturæ oculo consumere multam,
Si dat justa quidem doctis Dea præmia curis.
Nunc redeunt accensa Ipsi cum fœnore thura:
Nune venit omne Tibi punctum, plaususque benigni
Arrectas recreant aures. Quos inter amici
Eventus satagunt latos optare laborum,
Fessorumque Tibi laudes spondere futuras.
Exspue, quod misérum est, STARCKLOFFI, ex corpore fra.
eto:

Ex animo miseras feliciter exspue curas,
Ut Tua de spitis Tibi Dissertatio prosit.
Hecce Doctissimo Domino Candidato, Fautor et sumatissimo
de novis honoribus animitus gratulaturus adposuit

J. F. Muller,


Neostad. Wurtemb. Med. Stud.


• • • (0) • • •

01 A 6513



VDB.
WATY





38
36

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**SPUTATIONE HY-
POCHONDRIACORUM,**

Quam
AUSPICE DEO PROPITIO
Et Consensu atque Auctoritate Gratiæ Facultatis Medicæ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

P R Ä S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD.
NAT. CUR. COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, etc.

DN. DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSUETIS

ANNO MDCCXXX. D. FEBRUAR.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET

AUCTOR RESPONDENS

JOHANNES MICHAEL STARCKLOF,
GOTHANO - THURINGUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.